CELSISSIMÆ

ECCLESIARUM TURRI,
SUPEREMINENTI SACRATO OBELISCO,
ALTISSIMO PYRAMIDI,
VALIDISSIMO ARCI E VIVIS,
ET ELECTIS SCIENTIÆ,
SANCTITATIS,
ATQUE HISPANICÆ NOBILITATIS
PURPURISSO CONSTRUCTÆ,
QUAM SIBI REGIAM DOMUM
ÆDIFICAVIT SAPIENTIA GLORIOSIS
CLYPEIS AUREIS MUNITAM;
ET QUÆ CELSA DE VIVENTIBUS
SAXIS AD ASTRA TOLLITUR,
ÆTHERAQUE PERTINGENS
RELIGIONIS EXTAT FIRMISSI-
MUS ATHLAS,
ATQUE SISTIT HONOS, NON TAM
UNIUS HISPALENSIS URBIS, QUAM
TOTIUS HISPANICI ORBIS.
OMNIGENÆ SAPIENTIÆ
AMPLISSIMO CORYPHÆO, NOBILIORI
ROMANÆ ECCLESIÆ
STEMMATI,
SCIENTIÆ, ET VIRTUTIS LOCUPLETISSIMO
ERARIO, OMNIUM VENERATIONE ME-
RITISSIMO COETUI, EGREGIIS MI-
NERVÆ PROCERIBUS,

QVOS

QUOS METRICO CULTU PLAUDERE VIDEBATUR CARDUCCIUS.

Emicat Altithroni cultu venerabili cœtus
Egregiis viris nobilis Arcis chorus.
Justitia, ac pietas in his comitata coruscat;
Hæc eorum pectus protegit, illa latus.
Alta fides etiam dilectio fida nitescit,
Et per hos populus vota superna colit.
Quis numerans radiet virorum sparsus in Orbe,
Quanta Columnarum gratia fusa viget.
Per regna, per populos sua sidera præsunt
Quidquid ab Oceani circulus ambit aquis.
Arctos, Meridies, Oriens, Ocasus honorat
Lumina sideribus clarificata suis.

HIS IGITUR VIÆ LACTEÆ STELLIS CANDIDATIS, UTPOTE DIGNISSIMO MECÆNATI, ILLVSTRISSIMO INQVAM ALMÆ PATRIARCHALIS ECCLESIÆ HISPALENSIS

D. D. DECANO, ET CAPITVLO.

BOETICA PROVINCIA

P.P. CLERICORUM REGULARIUM Minorum, pro comitiis Provincialibus Congregata, in gratitudinis signum, in venerationis ostentum, & in æternum benevolentiæ monimentum, hæc Theologica Thomistica Asserta D. O. S.

PRI-

)✠(PRIMUM ASSERTUM.)✠(



U AUTEM, PATER, GUBERnas omnia providentiâ. Sap. 14. Ex quo preclarissimo testimonio lumine fidei habemus, dare in Deo prędestinationem; & quia est pręparatio beneficiorum Dei in doctrina nostri Angel. Pręc. debet ad suum constitutivum ingredi aliquem intellectûs actum simul cum actu voluntatis, cum quo vult Deus efficaciter prædestinationem electorum. Qualem in sua constitutione importet in recto, non est levis difficultas: sed quia magis consentanea doctrinæ Div. Thom. accedimus ad communem sententiam affirmantem, formaliter, & in recto constitui prædestinationem electorum per actum intellectûs; & presuppositivè, & in obliquo per actum voluntatis; nec est minor difficultas in asignando, in quo actu determinato intellectûs consistat, sed ut stabiliori sententiæ adhæreamus, asserimus in actu imperii consistere: ex quo deducimus cum Divo Thoma, non solùm esse prædestinationem distinctam ab arte, sed imperium, in quo stat formaliter prędestinatio, esse distinctum à lege æterna.

****


  

SE-

)✠(SECVNDVM ASSERTVM.)✠(



ON EX OPERIBVS JVSTITIÆ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis. Apost. ad Timoth. 3. & 9. ad Rom. Non ex operibus, sed ex *voluntate dictum est: Jacob dilexit, Esau autem odio habuit*: Ex quibus verbis rectè infertur, Electionem efficacem ad gloriam esse ante absolutam prævisionem meritorum. Plures sunt effectus prædestinationis: alii sunt eliciti, ut sunt visio beatifica, & perseverantia finalis; de quibus non est dubium esse effectum prædestinationis. Alii sunt imperati, de quibus adest difficultas, si concurrant, ut effectus ad prædestinationem, vel quia absolutè ad illam non conducunt, vel quia communes ad reprobationem, & prædestinationem; sed quia de permissione peccati est major difficultas (Vesperè) defendimus: *Permissionem peccati in electis, & in reprobis esse effectum prædestinationis ex præintenta humilitate, & principaliùs ex præintenta pœnitentia.*




TER-

TERTIVM ASSERTVM.



DILIGENTIBVS DEVM OMNIA cooperantur in bonum, iis qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Div. Paul. ad Rom. 8. Ex quibus verbis educitur, quòd substantia prędestinati, cùm cooperetur ad prædestinationem electorum, est effectus prædestinationis; ex quo infertur cum communi Thomistarum, opera bona moraliter elicita à prędestinato, etiamsi sint ordinis naturalis, esse effectus prędestinationis; neque excluduntur opera facta extra gratiam, quamvis sint mortua: Nec substantia prædestinati quoad circunstantias, nempe ingenium, artem, indolem, complexionem, valetudinem bonam, vel malam, patriam, parentes, paupertates, & divitias, honorem, & ignominiam, concordiam, & lites, potissimum vitæ periodum longiorem, aut breviorem.

****



)✠(QVARTVM ASSERTVM.)✠(



ONSIDERANDUM EST QUOD finis omnium divinorum operum est manifestatio divinæ bonitatis; sed tanta est divinæ bonitatis excellentia, quòd non potest uno modo, nec in una creatura sufficienter manifestari: & ideò diversas creaturas condidit, in quibus diversimodè manifestatur, præcipuè in creaturis rationalibus in quibus ejus justitia manifestatur quantum ad illos, quos pro eorum meritis punit; misericordia verò in illis, quos ex sua gratia liberat. D. Thom. de pręd. art. 5. ad 3. Quibus in verbis satis manifestat noster Angelicus Pręceptor, dari reprobationem aliorum: Cæterùm cùm ad reprobationem in executione præsupponantur demerita, adhuc inter Theologos est gravis dissertatio, utrùm ad ipsam in intentione pręvideantur absolutè demerita. Nos verò, ut conformiorem Angelici Præceptoris doctrinæ, partem amplectimur negativam.

****



Parabitur litterariæ pugnæ locus in hac PP. Clericorum Regularium Minorum Spiritui Sancto sacra æde, ubi defendens astabit P. JULIUS RAMOS, sub tutamine P. JOANNIS PEREZ, in eadem Domo Theologiæ Lectoris. Die 16. Septembris.



ORDINI AMPLISSIMO:

CUI REGIMEN JUPITER,
PROVIDENTIAM JANUS,
MINERVA SAPIENTIAM,
PALLAS FORTITUDINEM MERITO
TRIBUUNT MERITORUM
TRIBUTO.

ILLUSTRISSIMO,
CLEMENTISSIMOQUE

SENATVI,

AD COMPATIENDVM TENERRIMO,
facili ad condonandum, prompto ad subveniendum.
Verùm in eo quid non mirabile, quid non
incomparabile, quid non
singulare?

NOBILISSIMO, ET EXCELSO

PRINCIPI:

CVJVS EXIMIAS COGIMVR LAVDES
prætererire, illius memores: *In sylvam ne ligna
feras.* De quo aptissimè
Vates:

Quæ summa in summo quæruntur Principe, solus
Aut habet hic Princeps, *aut ea nullus habet.*

CON-

CONSULTISSIMIS, AC INTEGERRIMIS
PATRIBVS CONSCRIPTIS.

DECEDANT UMBRÆ, JAM DIES
ADSIT, RADIET

POST NUBILA PHOEBUS.

MAGNIFICENTISSIMÆ,

ATQVE AUGUSTISSMÆ

HISPALENSI CIVITATI,

INTER OMNES FACILE PRINCIPI,
NVLLI *FIDELITATE* SECVNDÆ.

AQVILÆ REGIÆ, AC GENEROSÆ,
SEMPER AD MAGNA TENDENTI.

CVJVS MAGNIFICENTIÆ
LONGITVDINEM, LATITVDINEM,
SVBLIMITATEM, ET PROFVNDVM
QVIS POSSIT INVESTIGARE?

SOLI BENIGNISSIMO,

CVJVS INFLVXV BENEVOLO OMNES
FOVET, ET ALIT, *NEQVE EST,
QVI SE ABSCONDAT
A CALORE EJVS.*

DE-

DEJICIAMUS ERGO VULTUM,
NE PERSTRINGANTUR OCULI
TANTÆ *DIGNITATIS*
SPLENDORE;

ET VENERATIONIS VELO
LUMINIBUS OBDUCTO,

AUREOS TANTUM DEMIREMUR
RADIOS EX HOC *SOLE* VI-
BRANTES: ETENIM

Hoc Opus est nostris (Illustres credite Cives)
Viribus, & studio majus, & ingenio.

Tutior est, meliusq; potest reverentia muta
Dicere de tanto Principe: *Musa tace.*

TANTO DENIQVE MECÆNATI
Bœtica Patrum Clericorum Regularium Mi-
norum Familia, gestiens & exultans, tali
auspicio felix, gratos hos Theologiæ flores
ex amœnissima Angelicæ Doctrinæ area
decerptos, in aliqualem addicti
animi tesseram,
D.O.S.

PRI-

)✠(PRIMVM ASSERTVM.)✠(


BI INCIPIT GENVS MORIS, ubi primò dominium voluntatis invenitur. D. Thom. 2.diſt. 24.quæſt.3.art.42.Ex quibus verbis indubitabile manet, libertatem eſſe omnino neceſſariam ad moralitatem actûs. Neque videtur eſſentialiter eſſe requiſitam libertatem contrarietatis, ſed libertate contradictionis conſtituitur actus in ratione liberi. Moralitas actûs, cùm realiter diſtinguatur ab ejus entitate, & libertate, non conſiſtit pręcisè in denominatione extrinſeca, nec in aliquo rationis, ſed in aliquo intrinſeco in eo exiſtente; non per modū prædicati abſoluti,nec reſpectivi prædicamentaliter, ſed tranſcendentaliter ad ſuum terminum.Plures ſunt termini,quos moralitas actûs reſpicit, de quibus meritò poteſt dubitari,à quo ſumat ſpeciem : ſcilicet natura intellectualis, voluntas, lex, ratio dirigens, objectum, finis, & circunſtantiæ : ſed cùm ſolùm per ſe primò ſuum objectum reſpiciat, à ſolo objecto ſumit ſpeciem.





SE-

)✠(SECUNDUM ASSERTUM.)✠(



BI NON EST LEX, NEC PRÆvaricatio. D.Paul.4.ad Rom. & in cap. 7. *Peccatum non cognovi nisi per legem*: Ex quibus verbis videtur esse principium infalibile, dari prӕter remotam,regulã proximam moralitatis, à qua sit bonitas, vel malitia actus humani. Quænam sit, non est facilè à Theologis resolutum. Nos tamen, ut firmiori sententiæ adhæremus affirmanti, regulam proximam moralitatis esse dictamen practicum rationis: Eumdem numero actum, sive interiorem, sive exteriorem voluntatis, non posse esse bonum, & malum simul in linea moris, absolutè tenemus; cùm practicum dictamen ipsius, moralitatem regulans, sit præcisè bonum, vel malum divisivè moraliter; quod quidem dictamen semel stabilitum, si mutetur, jam erit, & actus variatus: quapropter si & alius actus eliciatur, erit & ab alia regulatione distinctus: & ideò de eodem numero actu verificari nequit, quòd sit bonus, & malus simul in linea moris, etiam successivè considerato.

****

TER-

)✠(TERTIUM ASSERTUM.)✠(



XPLICANDAS ESSE IN CONfessione circunstantias mutantes speciem peccati. Trid. sess. 14. cap. 5. & can. 7. Ex quo infertur, peccatum habere aliquam malitiam moralem ex ipsis: in quo fundantur omnes Theologi, ad distinguendum in actibus duplicem malitiam moralem; aliam substantialem, & primariam desumptam ex objecto, de qua in præcedentibus assertionibus egimus; alteram accidentalem, & secundariam, quam habere dicuntur ex circunstantiis; & quia finis est præcipua circunstantia actûs, non est minor difficultas in assignando suam bonitatem, vel malitiam moralem, quam quidem asserimus cum communi consensu Theologorum, esse distinctam specificè à bonitate, vel morali malitia objecti. Omnis actus exterior pro priori ad moralitatem voluntatis habet aliquam malitiam, sive bonitatem objectivam, de qua non adest aliqua difficultas; A bonitate verò, vel malitia formali, quam non habet intrinsecè, & formalitèr actus, sed tantùm extrinsecè denominantur morales.

****

QUAR.

QUARTUM ASSERTUM.



ONA EST ORATIO CUM *jejunio & eleemoſyna.* Tob. 12. *Omnis qui malè agit, odit lucem* Joan. 3. Ex quibus evidenter infertur, operationes aliquando bonas, quandoque verò eſſe moraliter malas. Bonum, & malum in actionibus, rebuſque in omnibus, attenditur, ut Div. Thom. hic art. 2. Ex plenitudine eſſendi, vel defectu ipſius: quam cum ab objecto, non unicè, & ſi primariò habeat; ex fine, aliiſque circunſtantiis ejus plenitudo bonitatis, vel defectus cōſurgit. Cum quo rectè cohæret dari alia facta media, quæ poſſunt bono, vel malo animo fieri: de quibus (ut ait D. Aug. ſerm. Dom. in monte) temerarium eſt judicare: quæ communiter vocantur indifferentia ſecundum ſpeciem, vel ex objecto. An autem hæc opera valeant eſſe ſecundùm individuum indifferentia? Acriter, accuratiſsimèque exagitatur in ſcholis, præcipuè inter Diſcip. D. Thæ. & Doct. ſubt. Nos verò tanti Magiſtri, tantæque luminis claritatem ſecuti, actum indiferentem ſecundùm individuum abſolutè non dari, conſtanter pro viribus (Veſperè) defenſamus.

Minervalis parabitur palæſtra die 17. Sept. in hac PP. Clericorum Regularium Minorum Spiritui Sancto Domo, ubi defenſurus aſtabit P. JOANNES LLOR, ſub tutela P. DIDACI GODOY, Sacræ Theologiæ Lectoris Jubilati, hujuſque Provinciæ Procuratoris Provincialis.